



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

Appendix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

Francis tantummodo tribuatur Pipino Caroli Martelli filio cui staturæ exilitas Brevis siue Pusilli nomen fecit. Contrariè Pipinus parens Caroli Martelli à corporis mole dictus fuit Crassus siue Grossus; Vide Histo. Brabantia Diuæi, Haræi, Gramaie & supra disser. 39.

APPENDIX.

Contra id quod initio diximus Theobaldum fuisse legitimū filium Drogonis, Obijcitur: Auctor appendicis ad historiā Gregorij Turonensis, quem sequitur Bernardus Furmerius lib. 3. annualium Frisæ (nescio an alij) asserens Theobaldum fuisse illegitimum filium Grimoaldi. Verum eorum auctoritas tanti non est, vt propter eos à reliquorum & quidem multò plurium iudicio recedamus. Ainonius lib. 4. cap. 49. Trithemius in compendio Regum Franciæ l. primo, Sigebertus in Chronico, Antonius Coccius eneadis 8. lib. 7. Leydenensis lib. 2. Histo. Haræus in annualibus Brabantia, Scriekius, Miræus in annualibus Belgicis: hi omnes asserunt Theobaldum esse Drogonis filium, & de eo tanquam legitimo loquuntur, non sic de Martello. Similiter Nauclerus generatione 24. Pontus Hauterus, Diuæus alijque de Theobaldo tanquam legitimo tractāt, longe aliter de Carolo Martello, quem omnes illegitimum expresse tradunt vel insinuant. Theobaldus illegitimus filius Grimoaldi apud auctorem Appendicis, alius videtur mihi fuisse à Theobaldo filio Drogonis de quo nos agimus. Quid enim vetat etiam Grimoaldo natum illegitimum? & nomina eadem in eadem progenie sæpius imponuntur. colligo vero illud, quia, teste ipso auctore

Appēdicis paruulus erat Theobaldus Grimoaldi moriente Pipino : ast Theobaldus Drogonis prouectæ erat ætatis , aulæ Præfectus , statim post mortem Pipini fortia bella gessit , fugit , quæ paruulo non conueniunt . Vnde duos in vnum confundit ista appendix & qui eam sequuntur . Auctores omnes in Pipino moriente notant tanquam culpabile vel extraordinarium quod relicto Theobaldo Martellum inscripserit Heredem ; ast certè si Theobaldus fuisset æquè spurius , nihil culpabile aut extraordinarium in Pipino posset reperiri aut quæri . Fauet ratio : Quomodo Plestrudis Pipini coniux abiecto Carolo Martello tantopere satagisset pro Theobaldo , si similiter fuisset nothus ? Rationabilius & conuenientius est cogitare maluisse Plestrudem pro mariti sui filio quem ipsa educauerat , quique ipsam modestè semper coluerat virtutumque specimina ediderat , agere , quam pro Theobaldo nepote spurio Grimoaldi longè absentis .

DISSERTATIO CX.

Quis fuerit Agilolphus qui Pipinum moribundum visitauit.

Scripsit supra Marcellinus cum S. Swiberto Pipinum ultimò ægrotantem visitasse Agilolphum Archiepiscopum Coloniensem . Quæritur , quis iste sit Agilolphus .

Plerumque putatur esse ille ipse qui anno 748. sedit & cuius mentio est in Epistola Zachariæ Papæ ad Episcopos Galliæ & Germaniæ , exstatque apud Baronium ad annum 748. & tomo tertio Conciliorum par. 1. sect 1.

Dum